



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 5. Sponsalia, insciis parentibus, communiter illicita sint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

CAPUT V.

Sponsalia, in fœdus parentibus, communiter illicita sunt.

16 **I**Ta Layman cum communi l. 5. tr. 10. p. 1. n. 14. & fusc Menochius consil. 69. Cùm enim filii, & maxime filia, parentibus debeant id honoris, ut ipsos consulant in re tanti momenti, graviter delinquant contra præceptum honorandi parentes, dum ipsos non consulunt, dantque ipsis occasionem gravis offensæ. Ita Navarrus, Lopez & alii communiter.

17 **N**ihilominus dum parentes seicentur injustè impedituri matrimonium, vel subesse alia gravis & iusta causa illud ipsis occultandi, excusari possunt, utrumque contractum ipsis in fœdus celebrando. Perez disp. 18. sect. 18. n. 5. Si verò consulti nolent in istud matrimonium consentire, sed aliud prudenter suaderent, secundum Bellarminum l. 1. de matrim. c. 19. Lopez, Rodriguez, graviter delinquerent illud contrahendo, ipsis invitis; licet non ita secundum Viguerium, Ledesinam, Covarruviam, & alios apud Sanchez ipsos referentem l. 9. disp. 23. n. 10. Quia non tenentur filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, seu alio statu perpetuo eligendo (inquit S. Thomas 2. 2. q. 104. a. 5.) nec possunt parentes invitatis filias cogere certo conjugio sociari. Quorum enim unum corpus est, debet esse & animus. Urbanus II. candelap. 31. q. 1. Enimverò cùm homo per matrimonium perpetuæ subjiciatur servituti (ut ait S. Thomas Supplem. q. 47. a. 2.) æquissimum est, ut in hac re sit plene sui juris. Maxime cùm etiam matrimonium perpetuam exigat societatem, mutuo amore conglutinatam, & amor sponte nasci debeat, non ab alio imperari. Quod enim quis non eligit, non diligit, cap. præsens 20. q. 3.

18 **S**i tamen parentes gravissimam haberent causam dissuadendi matrimonium cum Titio v. g., quia ipsis cessurum esset in probrum; gravissimamque e contra causam habeant suadendi matrimonium cum Cejo, eò quòd v. g. per illud graves fedarentur inimicitia inter parentes sponsi & sponsæ; si filii vel filia non decrevisset manere cœlibes, sed in statu se matrimonii collocare, tenerentur ex pietate cedere tam rationabili voluntati ipsorum. Sanchez loco citato n. 4. & Doctores communiter, addentes sponsalia, invitatis parentibus invita, si in circumstantiis in quibus gravis & diuturna parentum offensæ, graveque inimicitia & rixæ timerentur inter parentes sponsi & sponsæ (si matrimonium inter ipsos contraheretur) non inducere obligationem contrahendi illud, Magillratumque Ecclesiasticum cum posse & debere illud impedire. Quia promissio non obligat, dum servari nequit absque gravi scandalo proximi, gravique, iusta & diuturna parentum indignatione, nec proinde absque læsione charitatis in proximum, pietatisque in parentes. Videri potest Sanchez lib. 1. disp. 14. Sicut & Menochius loco supra relato.

CAPUT VI.

Conditio turpis, adjecta sponsalibus, in foro conscientia non semper habetur pro non adjecta.

19 **E**X dictis n. 11. constat, irrita esse sponsalia, sub conditione turpi, si hæc sit contra bona, seu substantiam matrimonii, ut si dicatur, promitto tibi matrimonium sub conditione quòd posero illud dissolvere, si non placueris mihi. Si autem sponsalia invita sint sub conditione turpi, quæ non sit contra substantiam matrimonii, vel sub conditione impossibili, irrita non sunt, saltem in foro externo; utpote in quo ejusmodi conditiones, sicut habentur pro non adjectis in matrimonio, cap. quicum-

que. cap. de illis. cap. super eo. cap. per tuas. & cap. si conditiones extr. de condition. apposit. ita & in sponsalibus, ex communi sententia Doctorum.

Hoc tamen unversum non est verum, in foro interno; non est enim verum, si conditio impossibilis, vel turpis, adjiciatur ad indicandum disensum in sponsalia, v. g. dicendo: accipiam te, si pro dote attuleris mihi regnum Hispania; vel ad significandum, quòd Titus Titiam non ducet, nisi conditione positâ, ut plerumque fit, v. g. dicendo: accipiam te, si dederis mihi copiam corporis tui; vel si Lutheranus Catholicæ idem promittat, si à religione Papistica ad suam transierit, &c. (quod plerumque in Germania contingere, istaque formulâ, de more gentis, solitam significari voluntatem quidem accipiendi illam, sed non nisi impleta conditione, testis est Gobat, Author Germanus tr. 10. de sponsal. casu 4. sect. 2. n. 154.) tunc proinde sponsalia in foro conscientia nulla sunt, si conditio non ponatur. Ut enim cap. nuper de bigam. dicitur: in matrimoniis (idem est de sponsalibus) contrahendis, non juris effectus, sed animi destinatio attenditur. Ubi ergo consuetum est sic intelligere ejusmodi conditiones, videat Judex, an in dubio judicare non debeat secundum regulam 114. de reg. Jur. inspicimus in obscuris quòd plerumque fieri solet. Videri potest Gobat loco citato.

CAPUT VII.

Valeantne, obtentâ dispensatione, sponsalia impeditorum impedimento dirimente, sub conditione, si Papa dispensaverit? controversitur. Graves Doctores censent non valere, nisi renovato consensu.

Sanchez lib. 5. de matrim. disp. 5. cum communi docet, in casu quo subest impedimentum, in quo Papa non nisi rarissime, & non sine gravissima causa dispensat, v. g. affinitatis in primo gradu, nullam esse promissionem, sub ejusmodi conditione; utpote quæ tunc habetur pro impossibili. Et idem dicit, quando Papa facile quidem dispensat, sed non nisi ex certa causa, cujus veritas non reperitur in eo de quo agitur. Sed dum Papa facile dispensare solet in isto impedimento, censet valere sponsalia, post eam impetratam, ita ut una pars resilire nequeat, invitâ alterâ. Ita ipse cum pluribus aliis quos refert.

Verùm ibidem fatetur, multos Canonistas & Theologos contra sentire, asserereque, quòd licet talis promissio firmata sit juramento, feminaque sub conditionali illa promissione sit imprægnata, non esse obligationem ducendi illam, etiam secutâ dispensatione. Et ita sæpè Romana Rota censuit, ut videre est in secunda Rotæ decisione, inter eas quas Diana refert p. 6. in fin. ubi dicitur non valuisse, etiam post dispensationem, sponsalia, quæ juncti secundo gradu interant, referunturque plurimi Doctores pro ea decisione, atque insuper quinque aliæ ejusdem Rotæ decisiones, quibus generaliter deciditur invaliditas sponsalium, contractorum sub conditione dispensationis. Ipse etiam Diana p. 11. tr. 2. resol. 70. multis probat, invalida esse sponsalia, sub conditione dispensationis Pontificis, si post eam obtentam ratificata non fuerint per novum consensum. Ut enim Seraphinus probat de privileg. juramenti privilegio 33. novus consensus, post obtentam dispensationem, necessarius est, ad hoc ut subsistant. 1º quia sponsalia prius iniiri non potuerunt, etiam sub conditione, juxta L. inter stipulationem 82. §. Sacram. ff. de verb. signif. statuentem, ubi res à commercio eximitur, non posse super ea contrahi obligationem; contractamque extinguere, nec reviviscere, cessante impedimento. L. continuus